



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fuldensivm Antiquitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt XV. Abbatum, Monasteriique Fuldensis dignitas & prærogatiuæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

*pro Francis
ceu Theudi-
scis adsiuere
Latina.
* al Magne-
tium. lect. in
Sigeberro
cap. 90.
MS. Fuld.*

*Vt in Italiã
supereminẽ
litterati Gẽ-
tilium.
In elogiis ad
Pomponium
Lætum.*

nobis in præsentia causam, præter Germanicum, Francicum-
que, Latinum in Fuldensi monasterio nomen assumpserint: nam
vt Albinum Flaccum in Alcuino, Magnentium Maurum in
Rhabano, Strabonem vel Strabum in VValafrido, quæ littera-
rium album sapiunt, omittam; in Bonoso glorioso, Candido
ac Modesto huius loci cœnobitis exploratum habeo, eorum
vernacula nomina, Hatto, Bruun, & Rechio, extitisse. Quare &
honorariam nominis professionem tulisse Flaccum, *Magnen-
tium, Bonosum, Strabum, Probum, Lupum, abolito apud
Francos, nec in sacro quidem fonte passim recepto, Latialium
nominum vsu, dubitare nihil attinet. Ac nescio quidem, an
sanctiore tamen instituto, quemadmodum auorum memoriã,
renascentibus in Italiã litteris, eruditi quidam Romæ viri, veterum
ingeniorum illustria nomina sibi ipsis indiderunt, cum
in cœtu sodalium, Iouio teste, laureati Musas colerent, sic &
cultioris ingenij maturitate, cœnobitas nostros, priscorum do-
ctorum in suo gymnasio censeam renouasse titulos. Gemi-
na certè nomina ex instituto tulisse, non accepisse temerè data,
liquere puto.

CAPVT XV.

*Abbatum monasteriũ Fuldenfis dignitas
& prerogativa.*

*Quã tenui-
bus initiis,
quantis in-
crementis,
Fuldense no-
men surre-
xerit.*

QVIA virtutis præmium honos est, quam, cum admirabi-
les sui amores excitare per se videmus, tum doctrinæ ac
sapientiæ si fulta sit adminiculis, haud faciliè dixero, quos ipsa
plausus dare, significationesque fauoris excitare soleat. Experti
hoc sunt, qui ad huius Fuldenfis amplissimæ congregationis,
ceu reipublicæ clauum sederunt, quorum quo florentior reli-
gionis ac litterarum disciplinæ gubernatio fuit, hoc ampliora à
summis Ecclesiæ Pontificibus, & speciosiora à Regibus & Im-
peratoribus ornamenta in monasterium hoc, velut honoris
quoddam theatrum, congesta sunt. Omnia referre longum sit,
distingere singula, nihil vetabit. Initio tamen hîc conspicias
velim, exiguum loci patrimonium, & agelli, qui in qua-
drum,

drum, vt irent cæli plagæ, circumquaque se spargeret, angustum angulum; astrictum continentiam victum, & vix alendæ familiæ parem; modicas feruorum aut ingenuorum clientelas; domum, non dicam ambitioni, sed honori clausam, vni submissionis studio apertam, Benedictini generis ac ordinis veram imaginem; at paululum vbi se flexisset ætas, omnia hæc prouidente, satagente Deo, succrescere, & mox in excelsum niti: contribui præter aream monasterij, atque agrum circa, nemorum vndique & pascuorum, aquarum, abundè; his accenseri villas coloniasque rusticas, totâ Thuringiâ, Boiariâ, variis trans & cis Rhenum Mœnumque aruis, & alibi, complures: annonæ & fructuum importari tantum, vt hospites, aduenæ, non ipso monasterij dumtaxat gremio, sed rusticis cellarum vbique tectis excipi, pasci, vestiri benignè possent; surgere in altis montibus arces, in imis vallibus fossâ & propugnaculis circumdata oppida: adsistere Abbati, & ministerij causâ ambire pace belloque, ex equestri nobilitate, & Comitum Ducumque stirpe clientes, Aduocatos, Camerarios, Pincernas, Vexilliferos. Neque Cattorum, Boiariæ, Saxonumque, seu Thuringiæ, Principum, neque Cattimelibocorum, Niddæ, Zigenhainiorum, neque Hanouensium, vel Isenbergiorum, aut Hennenbergensium Comitum, & quorum generosa similis propago, deesse vel arma, vel obsequia. Denique Abbatem, non fortunæ beneficio, vel ardore cupiditatis, sed morum principatu, & priscae virtutis merito, sedendi honore in imperio, Episcoporum cedere nemini. Primum igitur à condito monasterio legibus inoluisse tradimus, multorum Pontificum stabilimèto; neminem quantumque fastigij, nec patriarcham nec præfulem, sed ne dicecesanum quidem in Fuldensi ecclesiâ patrare sacra, nisi Abbate probante, vel ad illud sponte munus inuitante. Id moris etiam eximij, vt vni eius subiaceat regimen Pontifici Romano; nec ab alio, quàm sedis Apostolicæ Præsede, honoris expectet munimenta: ad hanc dubiis in rebus, more ceterorum Antistitum appellat: quin & à Regum, Principum, Episcoporum, Comitum, aliorumve iniuriis, huius tutelâ præsidioque se vindicat, vetusque fuit, vt si quis ex corpore monasterij ob criminis atrocitatem, famæ labem contraheret, is non antè pulsationis iudicium subiret,

Patrimoniorum amplitudo.

Latifundia pradiarum rusticarum.

Arces, oppida, munitiones.

Principum, Dynastarum, & nobilium clientela ac ministeria. ex feudorum recognit. & obseruat. antiq.

Abbatibus ornamenta & extraordinarij honores: ex Archivo Fuld. eccles. & MSS.

In sacrificio.

In subiectione.

In confirmatione. Causa distinctione.

roveri
antiquitate
fuldenfes.
STV
9

*Iurisdictione
ecclesiasticâ,*

ret, quàm Romanâ fuisse auctoritate discussis auditusque. Integrum quoque, hortando, docendo, diuini que verbi semina spargendo, cœnobitas huius loci & Abbatem, operam vbiuis nauare

*Primatu Gal-
lia Germani-
câ, monas-
teriorum.*

Ecclesiæ. At sessionis honos, multis priuilegiis, Archimâdritæ, & per omnia Gallia Germaniæ que monasteria, *Primatis cog-*

*In Pontifica-
lium usu.*

nomento, datus: nec non potestas in dalmaticâ & sandaliis, mitratum annulatum que, rem procurandi diuinam. Additum à Siluestro Pontifice, nominatim; vt Abbas Fuldensis inter cun-

*In sessione ho-
noratissimâ.*

cta Germaniæ cœnobita, publico conuentu, primum ordinem sedendo, iudicando, consilium habendo, tueatur. Id, quod in

eâ Galliarum parte obtinuisse quoque rear, quâ Burgundia & regnum Arelatense olim Germaniæ sceptris associata, vnde & titulos petit suos Treuirensis Archiepiscopus: nec primatum Galliarum hîc loci vsurpatum, aliò retulerim. Ea verò constantis fidei amicitiaq. robusta vincula Romanorum Sedem huic Fuldensi monasterio innexuere, vt litteris Richardo Abbati, &

*In honorificâ
compellatio-
ne.*

aliis ante quingentos annos à Ioanne Pontifice datis, audiat *Roma-
næ Ecclesiæ Fuldensis filia specialis*; donoque, ceu æternæ vrbis

*Donatione
Romani mo-
nasterij S.
Andræ.*

ciui, cum omni peculio, fundis, & areâ monasterium S. Andræ obuenerit, Romæ situm iuxta basilicam S. Mariæ ad præsepe.

*Muneribus
quasi episco-
paliibus.*

Aliis aucta quoque iurisdicundi potestas, quâ noxas leuiores indulgendo, quâ anathemate plectendo fontes, quâ denique

*Regalia Ab-
batû.*

tondendo clericos, & minoribus sacris officiis mactando; atque adeò Subdiaconos etiam inaugurando. Iam iura Regalia, quæ

*Archicancel-
larij Augu-
stæ titulus.*

vocant, omnem in partem latissimè fusa, non attingo, quibus, si vetustiora repetamus, Imperatorum Regumque munificentiâ, vt quisquam alius in Imperio Princeps, ita Fuldensis

*Henricus Ab-
bas Carolo
I. v. à secre-
tis, qui Ar-
chicancellarij
Augustæ
munus con-
fermauit no-
uo ritu,*

Ecclesiæ fuit Antistes, conspicuus. Vnum Archicancellarij Augustæ titulum commemoro, quo ante quadringentos annos emicuit. Hunc, cum prærogatiuâ sedis, Berthoum Abbatem, Lothario Imperatore, ceu à maioribus olim acceptum, vindicasse lego. Porrò in Carolo quarti diplomate rem hanc Imperio toto confessam notissimamque animaduerto, cum anno

MCCCLVIII. Henrico Abbati à secretis sibi & consiliis, Archicancellariatus officium cum omnibus iis priuilegiis commo-

disque stabilit, quibus Archicancellarij Imperatricum & Regi-

narum vti frui solent; illud adiiciens nouum, vt quoties imperij

perij

perij Romani Augustam vel Reginam diademate cingi, aut indui purpurâ, soleinni ritu contingeret, Abbatem tunc id habiturum muneris, vt diadema coronamve pro more deponat, manûque teneat, & rursus eandem vertici reddat. Vnde & expressè Carolus, quod aliùs repetens non facilè vsurpatum inuenias, Henricum ferè salutatur, *Serenissima Anna Romanorum Imperatricis semper Augustæ & Bohemiæ Regina, consortis nostræ charissimæ, Archicancellarium.*

Augusta Imperatricis diadema tractandi.

CAPVT XVI.

De prædria Abbatum Fuldensium & sessionis honore.

CETERVM, quia de sessionis & sella fastigio Fuldense nomen carpi, & ambitionis nubilo obfuscarî solet, operæpretium in huius moris antiquitatem diligentius inquirere, & liberioris oris calumniam, maiorum testimonio castigare. Primi itaque auorum patrumque memoriâ, honorem eum bonis artibus sumptum, sugillare ausi sunt, Albertus Krantzius, præcipitis censuræ scriptor, & Sebastianus Munsterus, religionis optimæ bis desertor. Hi verò, cum vno fermè ore conuentum illum Moguntiacensem describunt, quo Fridericus Ahenobarbus Henricum filium Constantiæ Neapolitanæ vel Siculæ iunxit, ipsâ Pentecostes die anni MCLXXXIV. graue memorant honoris certamen istuc inter Philippum Colonensem Archiepiscopum, & Conradum Abbatem Fuldensem, exarsisse; quo principum animis in diuersa tractis, omnia verecundiæ & modestiæ iura insuper habita, Comitialis honor confusus, & à monacho occupatus sit. Quippe dextrum Friderici Imperatoris tegere latus Archiepiscopo Moguntino, sinistrum Agrippinensi; huius loco recipi voluisse Abbatem, & repulsâ notatum, abire coactum Colonensem: quare & indignantis Archiepiscopi orationem fuisse: *Cedo Abbati, Archiepiscopus; monacho, princeps elector; sed, bonâ veniâ vestrâ, cæcum dimitto.* Exoratum tamen, calenti spatium dedisse animo; &, quo tutior aduersus Fuldensem staret, ingressum quatuor millium armis stipatum.

Vindicata prædria Abbatum Fuldensis.

Krantz. lib. 6. Saxon. cap. 46. Cosinographiæ lib. 3. in German. Moguntini conuentus acta Frid. Ahenobarb. Imp. 1181.

Certamen inter Philippum Colon. Archiepisc. & Conradum Fuld. Abbatem.

** Nouitium & non eius cui præcedit.*

I

Epipho-

roveri
antiquitate.
Fuldenses.

STV

9